

An omnis intentio, & actio eorum qui fide carent, sit mala.

CUMque intentio, ut supra dictum est, bonum opus faciat, & fides intentionem dirigat; non immerito queri potest, utrum omnis intentio, omneque opus illorum malum sit qui fidem non habent. Si enim fides intentionem dirigat, & intentio bonum opus facit; ubi non est fides, nec intentio bona, nec opus bonum esse videtur. Quod a quibusdam non irrationabiliter adstruitur, qui dicunt, omnes actiones, & voluntates hominis sine fide malas esse, quae fide habita bonae existunt. Unde Apostolus ait, Rom. xiv. 23. Omne quod non est ex fide, peccatum est: quod Augustinus exponens, ait: Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil bonum est sine summo bono: ubi deest agnitio veritatis aeternae, falsa virtus est, etiam in optimis moribus: & Jacobus in Epistola canonica (1) ait, cap. 11. 10. Qui offenderit in uno (scilicet in charitate) factus est omnium reus. Qui ergo fidem, & charitatem non habet, omnis ejus actio peccatum est, quia ad charitatem non refertur. Quod enim ad charitatem non refertur, ut supra dist. xxxviii. meminit Augustinus, non fit quemadmodum fieri oportet; ideoque malum est. Non igitur mandata custodit qui charitate caret: quia sine charitate nullum mandatorum custodit. Unde Augustinus super Epistolam ad Galat. cap. iv. ad illud: Omnis lex in quo sermone impletur ait: Custoditionem legis dicit Apostolus non occidere, non moechari, & alia hujusmodi ad bonos mores pertinentia: quae sine charitate, fide, & spe impleri non possunt. Nullum ergo implet mandatum, nullumque opus bonum facit qui fidem, & charitatem non habet. Impossibile enim est, ut ait Apostolus, Hebr. xi. sine fide aliquid placere Deo. Quae ergo sine fide fiunt, bona non sunt: quia omne bonum Deo placet.

Quae praemissa obijciuntur sententia ex verbis Augustini.

HIS autem obijciuntur quod supra dicit Augustinus, Lib. I. Confess. cap. xii. scilicet quod in servili timore, etsi bonum fiat, non tamen bene: nemo enim invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit. Hic enim bonum dicit fieri, sed non bene ab illo qui charitatem non habet. Qui enim serviliter timet, charitate vacuus est; de quo tamen hic dicit, quia bonum facit, sed non bene. Qui etiam super illum locum Psal. lxxxviii. 4. Turtur invenit sibi nidum, ubi ponat pullos suos, dicit, quod Judaei, & Haeretici, & Paganus opera sua bona faciunt, quia vestiunt nudos, pascunt pauperes, & hujusmodi; sed non in nido Ecclesiae, id est in fide: & ideo conculcantur pulli eorum: Quibus illi respondent, dicentes, opera bona appellari hujusmodi quae sine charitate fiunt, non quia bona sunt quando sic fiunt, quod supra evidenter docuit Augustinus, sed quia bona essent, si aliter fierent; quae etiam in suo genere sunt bona, sed ex affectu fiunt mala.

Aliorum sententia de praemissa questione, qua querebatur, si omnis eorum actio mala est qui fidem non habent.

Alii vero qui trifariam distinctionem faciunt actuum, opera cuncta quae ad naturae subsidium fiunt, semper bona esse adstruunt. Sed quod Augustinus dicit, mala esse, si malas habeant causas, non (2) ita accipiendum est quasi ipsa mala sint, sed quia peccant, & mali sunt qui in ea malo sine agunt. Item & illud aliud, scilicet bonum opus intentio facit, & intentionem fides dirigat, determinat dicentes, ibi bonum vocatum quod remunerabile est ad vitam: non quod illud solum sit bonum opus, immo & alia plura, licet non ea ratione qua illud (3) fit, sint bona: bonum enim multipliciter accipitur, scilicet pro utili, pro remunerabili, pro signo boni, pro specie boni, pro licito, & aliis forte modis. Solaque illa intentio remunerabilis est ad vitam quam fides dirigat, sed non sola illa bona est, ut ajunt. Nam si quis Judaeus, vel malus Christianus necessitatem proximi revelaverit, naturali pietate ductus, bonum fecit, & bona fuit voluntas qua illud fecit.

Hic ponuntur quaedam Augustini capitula quae retractant, non quasi prae dicta, sed quo sensu dixerit insimulans.

Post haec investigari oportet, qualiter intelligendum sit quod ait Augustinus in Libro de vera Religione, cap. xiv. Usque adeo, inquit, peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Hujus dicti Augustinus rationem aperiens in Lib. Retract. I. cap. xii. dicit: Potest videri falsa haec diffinitio; sed si diligenter discutatur, invenietur verissima esse: peccatum quippe illud cogitandum est quod tantummodo peccatum est, non quod etiam poena est peccati, scilicet peccatum primum hominis, quod fuit peccatum, & causa; sed non poena; quamvis & illa quae non voluntaria peccata non immerito dicuntur, quia vel a nescientibus, vel a coactis perpetrantur, vel a non omni modo possunt sine voluntate committi: quoniam ille qui peccat ignorans, voluntate utique facit quod, cum faciendum non sit, imputat esse faciendum; ille vero qui concupiscente adversus spiritum carne, non ea quae vult facit, concupiscit quidem nolens, & in eo non facit quod vult; sed si vincitur, concupiscentiae consentit volens, & in eo non facit nisi quod vult; (4) & illud quod in parvulis est originale peccatum, cum adhuc non utantur voluntatis libero arbitrio, non absurde vocatur voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum est. Non itaque falsum est quod diximus: Usque adeo peccatum voluntarium est, &c. Ecce qua-

(1) Al. est indifferens, est generaliter sumptus ad bonitatem, &c. (2) Al. idem. (3) Al. deest fit. (4) Al. & illud quod in parvulis est originale peccatum, ex primi hominis mala voluntate contractum est, intermediis omissis.

qualiter illud accipiendum sit, scilicet de primo peccato hominis, vel de omnibus generaliter peccatis mortiferis: quorum licet quaedam dicantur non voluntaria, quae scilicet per ignorantiam, vel per infirmitatem fiunt, eadem tamen ratione ea possunt voluntaria dici, quia sine voluntate non committuntur.

Aliud capitulum.

Illius etiam intelligentia perquirenda est quod in Libro de duabus animabus, cap. x. edidit, inquit: Nusquam nisi voluntate peccatum est: quod etiam in Lib. Retractat. I. cap. xv. plane determinat, dicens: Potest putari falsa esse ista sententia qua diximus, nusquam nisi in voluntate esse peccatum; cum Apostolus dicat, Rom. vii. 19. Quod nolo, hoc facio &c. Sed peccatum quod nusquam est nisi in voluntate, illud praecipue intelligendum est quod justa damnatio consecuta est, id est primum hominis peccatum. In eodem quoque Lib. de duabus Animabus, cap. x. aliud tradidit consideratione dignum: ait enim: Non nisi voluntate peccatur: ipsamque voluntatem diffinit, dicens: Voluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid vel non admittendum, vel adipiscendum. Hujus dicti causam aperiens, & intelligentiam pandens in Lib. Retract. ubi sup. ait: Hoc propterea dictum est, ut hac diffinitione volens a nolente discerneret, & sic ad illos referretur intentio qui in paradiso fecerunt originem mali, peccando, nullo cogente, id est libera voluntate: quia & scientes contra praecipuum fecerunt, & ille tentator suavit ut hoc fieret, non coegit. Nam qui nesciens peccavit, non incongruenter peccasse volens dici potest. Quamvis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit; sed voluntas facti ibi fuit, non voluntas peccati: quod tamen factum fuit peccatum, hoc enim factum est quod fieri non debuit. Quisquis autem sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum, sive peccato resistere, nec tamen facit; utique volens peccat: quia qui potest resistere, non cogitur cedere. Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse, verissimum est. Ex his liquet, qualiter superiora accipienda sint.

Quod mala voluntas est voluntarium peccatum.

Sicut autem omne peccatum mortale voluntarium est; cum voluntas mala peccatum sit mortale, constat ipsam esse voluntarium peccatum. Quid enim, ut ait Augustinus, Lib. I. de lib. arb. cap. xii. tam in voluntate, quam ipsa voluntas sita est? Voluntas itaque mala recte dicitur voluntarium peccatum, quod in voluntate consistit. Voluntas quippe, ut ait Augustinus in eodem Lib. III. cap. xvii. est prima causa peccandi. At nullum peccatum est prima causa peccandi; nec est cui recte imputetur peccatum nisi peccanti. Non est ergo cui recte imputetur nisi voluntati. Hoc autem de peccato actuali, & mortali intelligendum est. Neque his verbis aliquid voluit Augustinus ostendere, ut ipse ait in Retractionibus, Lib. I. cap. ix. nisi quia voluntas est qua peccatur, & qua recte vivitur.

DIVISIO TEXTUS.

Ostenso quod ex finis intentione, vel voluntate; actus exterior habet malitiam, & bonitatem; hic determinat quasdam questiones circa praedeterminata: & dividitur in partes duas. In prima inquit de actu peccati per comparationem ad intentionem; in secunda de actu peccati inquit per comparationem ad voluntatem, ibi: Post haec investigari oportet, qualiter intelligendum sit quod ait Augustinus.

Prima in duas dividitur. In prima movet quaestiones; in secunda determinat eam, ibi: Quod a quibusdam non irrationabiliter adstruitur. Et haec dividitur in duas, secundum duas opiniones. (1) Secunda incipit ibi: Alii vero, qui trifariam distinctionem actuum faciunt, opera cuncta quae ad naturae subsidium fiunt, semper bona esse adstruunt. Circa primum tria facit. Primo ponit solutionem propositae quaestiones secundum unam opinionem; secundo obijcit in contrarium, ibi: His autem obijciuntur quod supra dixit Augustinus; tertio ponit responsionem, ibi: Quibus illi respondent.

Post haec investigari oportet, qualiter intelligendum sit quod ait Augustinus. Hic determinat de actu peccati in comparatione ad voluntatem: & dividitur in partes duas. In prima inquit de peccato in genere per comparationem ad voluntatem; in secunda de illo specialiter peccato quod in interiori voluntatis actu consistit, ibi: Si autem omne peccatum mortale voluntarium est, cum voluntas mala peccatum sit mortale, constat ipsam esse voluntarium peccatum. Prima dividitur in tres, secundum quod tres auctoritates adducuntur. In prima incipit ibi: A quibusdam qui dicunt &c. (2) Idem adjungit: Prima incipit ibi: Potest videri falsa (haec) definitio &c.

QUESTIO I.

HIC est duplex quaestio. Prima de comparatione actus ad intentionem. Secunda de comparatione peccati ad voluntatem.

Circa primum quaeruntur duo. Primo. Utrum fides intentionem dirigat. Secundo. Utrum aliquis actus in infidelibus possit esse bonus, quorum intentio non est per fidem directa.

ARTICULUS I.

Utrum fides habeat universaliter dirigere intentionem.

De ver. q. xxii. art. 13. ad 11.

AD primum sic proceditur. Videtur quod fidei non sit intentionem universaliter dirigere. Diversorum enim specie, diversae sunt regulae, & mensurae, ut ex X. Metaph. text. iv. patet: quia mensura est homogena mensurato. Sed virtutes diversae sunt secundum speciem. Ergo fides non potest dirigere in operationibus omnium virtutum.

2. Praeterea. Cujus est ordinare, ejus est etiam dirigere: quia directio est per ordinationem in finem. Sed ordinatio est rationis. Ergo & dirigere; & ita non potest dirigere in operationibus omnium virtutum.

ddd

Ad primum sic proceditur. Videtur quod fidei non sit intentionem universaliter dirigere. Diversorum enim specie, diversae sunt regulae, & mensurae, ut ex X. Metaph. text. iv. patet: quia mensura est homogena mensurato. Sed virtutes diversae sunt secundum speciem. Ergo fides non potest dirigere in operationibus omnium virtutum.



est voluntarium. Sed primus motus est contra voluntatem: quod patet ex hoc quod dicitur Rom. vi. 19. Quod nolo malum, hoc ago: quod de primis, moribus exponitur. Igitur cum primus motus sit peccatum, videtur quod non omne peccatum sit voluntarium.

6. Præterea. Quod est per necessitatem originis tractatum, non est voluntarium. Sed aliquid peccatum est huiusmodi, scilicet originale. Ergo non omne peccatum est voluntarium.

Sed contra. Nihil prohibetur nisi quod est in potestate eius cui fit prohibitio. Sed peccatum omne prohibetur. Ergo omne peccatum est in potestate peccantis. Sed nihil est in potestate hominis nisi quod est voluntarium. Ergo omne peccatum est voluntarium.

Præterea. Involuntarium, ut dicit Philosophus in III. Ethic. cap. 1. non meretur poenam, sed ignoscantiam. Sed omne peccatum meretur poenam. Ergo nullum peccatum est involuntarium.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod peccatum, secundum quod habet rationem culpæ, non potest esse nisi eo quod in potestate alicujus consistit: quia ex illo defectu qui in potestate eius consistit, homo calpatur, & vituperatur; non autem ex eo quod in potestate eius non fuit, ut si cæcus nascatur: talis enim defectus magis ad misericordiam provocat quam ad vindictam. Et quia potentia secundum quam nostrorum actuum domini sumus, est voluntas; inde est quod omne id quod in potestate nostra constitutum est, voluntarium dicitur: & inde oportet omne peccatum voluntarium esse, secundum quod peccatum, & culpa idem sunt: quia si peccatum largius accipitur, sic invenitur in omnibus quæ propter finem agunt (sive agant per voluntatem, sive per necessitatem naturæ) cum eorum actus a fine debito obliquatur, ut in II. Phys. text. LXXXI. dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod malum non est volitum per se: nullus enim ad malum intendens aliquid operatur, ut Dionysius dicit (de divin. Nom. cap. IV.) sed per accidens potest esse voluntarium, dum scilicet aliquis æstimat bonum quod malum est, vel cum appetit aliquid bonum secundum quid, cui est adjuncta ratio mali simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod sicut habitus virtutis politicæ non acquiritur subito: quia una dies non facit ver, ut in I. Ethic. cap. VII. dicitur; ita etiam nec subito habitus ille destruitur: ideo dicit Philosophus II. Ethic. cap. V. quod ex quo aliqui habitus vitiosum acquisierunt, non est in potestate eius ut statim habitum deponat; sed tamen est in eius potestate ut statim non secundum illum habitum operetur: quia habitus voluntarii non inclinant necessario ad actus: & sic etiam per exercitium operum poterit ex toto habitus ille malus consumi: & ita constat quod peccatum illius qui vitiosum habitum habet, voluntarii rationem non perdidit.

Ad tertium dicendum, quod quando per ignorantiam peccatur, illud quod est peccatum, non est omnino ignoratum; sed est ignoratum secundum quod, nescitur de illo actu quod malus sit: & secundum hoc quod est malum, non erat ratio volendi: & ideo talis ignorantia voluntarium non tollit. Et præterea ipsa ignorantia quodammodo voluntaria est: quia ignorat ea quæ scire tenetur, & potest. Si autem scire non posset, tunc voluntarie quidem faceret actum, sed non voluntarie peccaret: & talis

ignorantia invincibilis est; quam si vitare non posset, peccatum excusaret, ut jam peccatum non esset.

Ad quartum dicendum, quod secundum eos qui dicunt, quod in peccato omissionis non exigitur actus voluntatis, peccatum illud dicitur voluntarium non propter actum voluntatis in omissionem transeuntem, sed in quantum ommissio in potestate omittentis est, quia potest omittere, & non omittere.

Ad quintum dicendum, quod inter peccata actualia minimum de ratione peccati habet primus motus, & ita etiam minimum habet de ratione voluntarii, hoc tantum scilicet quod voluntas præveniendum impedire potest in particulari; quamvis non possit omnes universaliter impedire, ita quod nullus surgat: & sic aliquo modo est in potestate voluntatis. Dicitur autem esse contra voluntatem, quia in contrarium eius est naturalis inclinatio voluntatis, de qua supra dictum est.

Ad sextum dicendum, quod peccatum originale, per se loquendo, est peccatum naturæ, & non personæ, nisi mediante natura: & ideo est voluntarium voluntate naturæ: non tamen voluntate personæ cuiuslibet in qua invenitur, sed Adæ tantum, qui naturam infecit.

ARTICULUS II.

Utrum omne peccatum sit in voluntate.

1. 2. quæst. LXXIV. art. 2. & de malo quæst. III. art. 2. & supra dist. xxxv. art. 4. & distinct. xxxix. art. 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non omne peccatum sit in voluntate. Peccatum enim, & virtus sunt in eodem subiecto. Sed virtus est in ratione, ut in I. Ethic. dicitur cap. XII. Græco-lat. Cum igitur voluntas sit alia potentia à ratione, videtur quod peccatum non sit in voluntate.

2. Præterea. Quod est susceptivum dignioris, potest esse susceptivum indignioris. Sed concupiscibilis est susceptiva virtutis, quia temperantia est in concupiscibili. Ergo & concupiscibilis non impeditur propter suam imperfectionem quin in ea peccatum esse possit.

3. Præterea. In illa potentia est peccatum in cuius actu deformitas peccati consistit. Sed hæc non solum est in actu voluntatis, sed etiam in actibus aliarum potentiarum, ut supra dictum est. Ergo non in sola voluntate peccatum est.

4. Præterea. Objectum voluntatis est bonum simpliciter; sed objectum concupiscibilis est bonum secundum sensum. Sed magis peccatur per conversionem ad delectabilia sensus quam per conversionem ad bonum simpliciter. Ergo peccatum magis est in concupiscibili quam in voluntate.

5. Præterea. Sapient. XI. 17. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Sed homo totus punitur. Ergo non solum in voluntate peccatum eius consistit.

Sed contra est quod in littera dicitur: Nusquam nisi in voluntate peccatum est.

Præterea. Sicut se habet falsa opinio ad intellectum, ita prava actio ad voluntatem. Sed falsa opinio non est nisi in intellectu. Ergo peccatum non est nisi in voluntate.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod aliquid esse in voluntate

luntate potest intelligi dupliciter: vel ita quod sit in ea sicut in causa; & sic ex præmissa quæstione patet omne peccatum in voluntate esse, in quantum omne peccatum voluntarium est: vel ita quod sit in ea sicut in subiecto; & tunc distinguendum est: quia subiectum peccati potest accipi vel proximum, vel primum. Proximum subiectum peccati est illa potentia quæ actum peccati elicit; & sic in diversis potentiis contingit esse peccatum, & non solum in voluntate. Primum autem subiectum peccati est ex quo inest homini peccati susceptibilitas: & quia homo non est susceptibilis culpæ, nisi secundum quod est suorum dominus actuum, & hoc sibi competit secundum quod est voluntatem habens; ideo primum subiectum peccati voluntas est.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio accipitur ibi à Philosopho pro parte intellectiva, quæ voluntatem, & rationem complectitur, quia cuiuslibet apprehensioni suus appetitus respondet: quod patet ex hoc quod rationabile per participationem vocat irascibile, & concupiscibile, quæ sunt potentie appetitive. Est autem peccatum in ratione sicut in dirigente, & in voluntate sicut in eligente: & ideo cum peccatum in electione compleatur, potius voluntas quam ratio subiectum eius primum dici debet.

Ad secundum dicendum, quod virtus non est in concupiscibili, nisi secundum quod alicqualiter participat rationem, in quantum est rationi obediens: & ideo non oportet quod sit primum subiectum peccati; sed proximum potest esse.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est, actus aliarum potentiarum non habent rationem culpæ, nisi secundum quod subjacent imperio voluntatis: unde patet quod peccati primum subiectum voluntas est.

Ad quartum dicendum, quod delectabile secundum sensum quamvis non sit objectum voluntatis, in quantum huiusmodi, potest tamen esse objectum eius, in quantum apprehenditur ut bonum simpliciter; & hoc modo est peccatum circa delectabile sensui.

Ad quintum dicendum, quod etiam quamvis homo possit puniri secundum omnes partes, non tamen est susceptivus poenæ (si poena proprie sumatur) nisi in quantum est voluntatem habens: quia ex hoc aliquid poenale est quod voluntati adversatur: & ideo voluntas est primum subiectum poenæ, sicut & culpa.

EXPOSITIO TEXTUS.

Si enim fides intentionem dirigit, & intentio bonum opus facit; ubi non est fides, nec intentio bona, nec opus bonum esse videtur. Ista ratio soluta est in 2. art. primæ quæstionis.

DISTINCTIO XII.

An voluntas, & actio mala in eodem homine, & circa eandem rem sint unum peccatum, vel plura.

CUM autem voluntas mala, & operatio peccatum sint, quæri solet, utrum in eodem homine, & circa eandem rem hæc duo unum sint peccatum, vel diversa; ut si quis furatur voluntate, voluntatem habuit malam, quæ peccatum est, & actum malum, qui peccatum est. Hæc autem duo diversa sunt, scilicet voluntas, & actio. Sed numquid diversa sunt peccata, an unum? Quidam dicunt, unum esse peccatum.

(1) Al. deest III. (2) Al. præcedens. (3) Al. Quod tamen in voluntate &c. (4) Al. Quibus aliis hæc duo respondent esse non peccata.

Quod à quibusdam irrationabiliter adstruitur. Si intelligatur quod quælibet actio mala sit, & peccatum; opinio irrationabilis est. Si autem intelligatur quod quidquid agant, in peccato semper permanent, dum sine fide sunt; opinio rationabilis est.

Nihil est bonum sine summo bono. Infideles igitur sunt sine summo bono quantum ad illam societatem quæ est per participationem gratiæ, & ideo gratuitum bonum in eis non est. Non tamen sunt sine summo bono quantum ad hoc quod ejus bonitatem per bona naturalia participant.

Falsa virtus est etiam in optimis moribus: quia scilicet non ducit ad æternam felicitatem ad quam virtus perfecta, & vera per actus meritorios ducere potest.

Sine charitate nullum mandatorum custoditur. Verum est quantum ad intentionem præcipientis, sed non quantum ad substantiam præcepti: & hoc habitum est dist. XXVIII.

Bonum enim multipliciter accipitur. Bonum, secundum Philosophum, dividitur in utile, delectabile, & honestum. Ergo cum hic istæ differentiæ non ponantur, videtur insufficienter distinguere. Sed dicendum, quod Philosophus assignat partes boni quæ sunt ipsius secundum se; hic autem assignantur partes boni in ordine ad aliud. Potest autem aliquid accipi esse bonum in ordine ad tria. Primo modo ut in ordine ad finem; & sic respectu ejusque finis dicitur utile; respectu autem finis ultimi, qui est vita æterna, dicitur bonum remunerabile, quod est bonum honestum meritorium. Secundo modo ut in ordine ad aliquid bonum simile (1) illi ad quod ordinatur; vel sicut signum, & sic signum boni dicitur bonum, ut patet in sacramentis legalibus; vel sicut (2) prætendens ejus similitudinem; & sic bonum apparens dicitur bonum; & hoc præcipue est bonum delectabile. Tertio modo in ordine ad præceptum; & sic dicitur bonum simpliciter quod lege præcipitur; & hoc est etiam remunerabile, & honestum; & secundariò dicitur licitum bonum quod nullo præcepto prohibetur. Unde modi Aristotelis quodammodo includuntur in istis.

Peccatum quippe illud cogitandum est quod tantummodo peccatum est. Ista solutio procedit, si accipiatur voluntarium simpliciter, & perfecte, quod non in omni peccato invenitur; sed si accipiatur voluntarium quocumque modo, sic invenitur in quolibet peccato, ut ipse in processu solutionis ostendit.

Quid (3) enim, ut ait Augustinus, tam in voluntate quam ipsa voluntas? Voluntas dicitur esse in voluntate, dum actus voluntatis proximus in potestate ipsius potentie existit: utrumque enim dicitur voluntas, scilicet potentia, & actus.

